

III. REGNUM MORTUORUM.

Nro. 19.

Oratio Politica.

De Vestitu.

Elysium-Meum.-DieMartis 4 April.1809.(Neov. 17 Mart 1809)

Sententia.

Primi hominis vestis fuit ficus.

Helvet.

Multi vestiendi rationi adversantur quod demum, verum vestes cum cæteris moralibus rationibus comparantibus illucet: vestes ordini conformes esse debere, in humana societate introducto. Et ex hoc respectu jure merito adagium applicari potest: vestis facit virum.

Climatis diversitas, & vanitas vestitum paradiseum mutarunt; ex hinc quanta differentia a byssea toga, ad folium fici? quam multas periodos vestis subeundas, quam varias materias elaborandas, quam multos mores inveniendos habuit, ut continuo a folio fici recedat?

Omnes homines (sunt verba percelebris viri) omnes inquam mortales, aptissimi pro ut stolidissimi, rudissimi æque ac doctissimi, pacificentissimi juxta & inquietissimi, qui tranquillissimo animo pollent perinde ac ambitione tumentes, omnes plus minus, sentiunt sibi in suis animi facultatibus, in mediis &

subidiis quidpiam desse; jam mente tota hac vel illa ratione defectum supplere, suæ essentiæ aliquid addere, suæ existentiae, si non reapse, saltim in publica opinione augmentum conciliari nituntur, si non de præsentia, in futurum aut in præterito, si non potest id impetrari aliquo essentiali, tum jam gestus, incesus, modus caput versandi, aut suppellectilis curralis, vestiariæque id præstandum habet, aut deficiente meliore delicatum solum vestigium quæsitæ & selecti, modica solum gloria popularis auræ, cui semet involvunt.

Celebris naturæ scrutator Comes a Buffon, continuo afflictus necessitate splendentis existentiae, (splendescere vero oportuit in moralibus æque ac physicis, in ovationibus sui sæculi non minus, quam futurarum generationum) continuo captus minutissimis desideriis vilissimarum vanitatum æque ac votis excellentissimæ honorificentissimæque gloriæ Cupiditatis, hic inquam talis tantusque vir! præcipuum æstimavit habitum, gustusque & delectus ad regulas exactum vestitum. Cultus, aiebat, ad severitatem omnem composito vultu, norma vestiendi partem Characteris humani efficit, ad essentiam hominis non secus pertinet, quam stylus seu scribendi genus in Cogitationibus partem sibi vendicat.

Hujus oraculi occasione — Venerab. Galleani continere se non posset, quin Sartoris ut historiam proferat in medium: Erat vir

ad aulam misero huic opifici notabili summa obstrictus, quodam die aiebat sanctor, Excellentissimæ suæ Dominationi ad recentissimum qui vigeat, morem exactam vestem parandam & adferendam habui; qua ego occasione apud animum firmissime decrevi debitam, quo tantopere indigebam seposito omni metu & dignitatis, aut personæ respectu postulare, at pro infortunio meo in eo rem orsus sum, in quo minime debuissen, novam a potestate vestem inter corpori induendam propositurus petivimus, at vix Excellentia sua veste indua fuit, ea adeo extraordinario fulgore me comam stare visa est, ut ei manu tremula confectas rationes porrexerim, atque ita vox fugibus hæserit, ut illo quidem temporis articulo nec verbum profando fuerim.

Raro homo illa prudentia pollet, aut rectius dicendo, raro ea gaudet animositate, ut se totum prout est, perspiciat. Si suam contempletur imbecillitatem, quin ulla amœna illusionem fallatur, eorum aut se metuit ipsum, aut ruborem suffunditur. Pudet ipsum, ut puduit Adamum vetitum fructum subducendum, primus ejus instinctus eorum est faciem obvelare coram se ipso. Aliquo habet opus ad propriis semet subducendum oculis, etiam si in fine nihil præter habet, quam ficum.

Hodie plurimum duplicis Coloris vestes quas militares, passim Uniformes adpellitamus, conspicimus, quibus status militaris distinguitur. Hoc genus vestium sub Ludovico demum XIV. originem cepit. Ante miles vel

lorica indutus, aut ordinaria tectus veste militabat. Turennius pullam plerumque vestem indutus incessit, & hæc ei gratissima vestis erat. Continuis hic uniformium vestium conspicuus quæstioni perpetuæ præbet occasionem: Eritne bellum, aut retinebimus pacem? hæc ad usque indecisa quæstio pacis studiosos tranquilliore animo efficit.

Interim usque decisionem mutationes locum habent, statistice profecto memorabiles quæque Parisinis de 12. Martii litteris continentur ad hunc modum:

Hodiernus Monitor Conventus Senatus meminit die 6. sub præsidio principis Imperii Archi-Cancellarii celebrati, cui & Princeps P o Magnus Elector intererat, & in quo ille præmissa adcommoda oratione sequentia Documenta cum Senatu communicavit. 1. Napolæo &c. Cum Princeps Joachimus M. Dux Bergæ & Cliviæ, hodie Rex Utriusque Siciliae vigore Conventionis die 15. Julii 1808. initæ Bajonnæ M. Ducatum Bergæ & Cliviæ cum adnexis ei ditionibus nobis cesserit, idcirco decrevimus memoratum M. Ducatum cedere, & præsentium vigore cedimus Carissimo nepoti nostro Napoleoni Ludovico seniori filio dilectissimi fratris nostri Regis Hollandiæ, ut is a memorato principe Napoleone Ludovico cum omni supremo Imperio gubernetur, & ad hujus directos naturales & legitimos hæredes & posteritates secundum ordinem primogenituræ, exclusis in perpetuum feminis & earum Descendentibus hære-

ditario Jure devolvatur; quod si (quod Deus avertat) directa, naturalis & legitima posteritas memorati principis Napoleonis Ludovici deficeret, aut hic princeps, vel posterus ejus vigore eventualis juris sui succedendi ad solium evocarentur, & ipso aditu sui regiminis absque masculis liberis esset, pro eo Casu nobis & successoribus nostris Jus reservamus, de memorato M. Ducatu disponendi, & eum prout salus & ratio Coronæ nostræ exegerit, conferendi. Pari ratione nobis administrationem & regimen M. Ducatus Bergæ & Civitatis reservamus, ad illud usque momentum, quo Princeps Napoleo Ludovicus annum majorennitatis attigerit; Nos quoque præsentis momento assumimus educationem & Curam memorati principis minorennis vigore dispositionis III. Articuli primi statuti nostræ Cæsareæ domus. Datum in æde Tuilleriis die 30. Martii 1809. subs. *Napoleo &c.*

2) In palatio Tuilleriarum die 3. Martii 1809. *Napoleo &c.* Inspecto Article III. actuum Constitutionis de 3. Martii 1809, contulimus & conferimus Carissimæ sorori nostræ Elisæ Principi Lucensi & Plumbiæ. Generale Gubernium provinciæ Tusciæ cum titulo Magnæ Ducis. subs. *Napoleo.* — His communicatis decrevit Senatus: ut ambo documenta Regestris inserantur, Archivoque inferantur; Imperatori pro facta eorum Communicatione per Præsidentem & ejus Secretarios gratiæ agantur; idemque Imperatrici vota deferant; Eodem Consilio denis membris

conflata Deputatio Dominæ, Imperatoris matri, Reginæ Hollandiæ & ad M. Ducem Bergæ expediatur: & solennes Gratulatoriæ M. Duci Hetruriæ transmittantur, denique ad quævis hujus Sessionis typis excudantur.

Porro hodiernus Monitor duo Cæsarea Decreta complectitur, de eodem 3. Martii, quorum alterum novam Hetruriæ organisationem continet; altero Gen. agminis Dux Princeps *Felix*, Dux Lucæ, & Plumbaciensis supremo copiarum in Hetruria imperio præficitur.

Ex proximo die Veneris utpote 10. Imperator in vico Rambovillæ degit, unde primis hujus hebdomadis diebus rediturus spectatur.

Bajonna de 7. h. litteræ Palafoxium ex morbo, quo laborabat, mortuum nunciant.

Die 26 prioris præsidarii Lugduno Argentoratum profecti sunt.

Helvetæ in Hispania morantes adfirmant in suis in patriam expeditis litteris: Gallicanas copias in Portugalliam proficisci, Helvetæ sub imperio Ducis a Castella die 4. Febr. Ferolia iter in Portugillicas provincias ingressi sunt.

Portugallia in superficie complectitur 1845 geographica quadrata milliaria, 19 urbes majores 527 oppida & pagos, 466,129 domicilia. Inter 3,250,000 Incolas censentur 200,000 ordinis Eccles. personæ, Archiepiscopi 17, & 417 Monachorum, 103 Monacharum Cænobia, Universitates 5 numerantur.

Reditus Portugalliae æstimantur ad 56
 millones librarum. Exercitus constabat ex
 37000 Copiarum linealium & 50000 extra-
 ordia. Vires navales 16 lineal. & 14 me-
 diæ molis navibus, quarum verò potissimam
 partem Princeps Brasiliæ secum in Americam
 australem abduxit.

In *Humboldtii Itinere*, Tomo 3. seqv.
 continetur Statistica deductio: Anno 1808.
Imperium Russicum continebat: 452 □ mill.
 40,000,009 Incolarum; ad 1 □ mill. 42. —
Europa omnis 476,111 □ Incolas 182590000.
 proin 303 ad □. *Foederati Americae bor. Sta-*
tus 260,340 □; 6,800,000 Incol. ergo ad □
 22; *Indostania* Anglici Juris 48,299 □;
 23,806,000 Incol. proin 493 ad □ *Foedera-*
ti et tributarii Societatis Ind. orient. Angli-
canae 32,647 □, 16,900,000 Incolas, ut ad
 □ 518 referantur; *Imperium Turcicum*
 136,110 □ 25 330,000 Incolæ, ad □ 186.
Monarchia Austriaca 33,258 □ 25,588,000
 Incol. ad □ 769 — Secundum *Cl. Lichten-*
stern Imperium Austr. continet, 11,328 mil.
 quadr. Incolas 23,965,100 ad 1 mill. □ 2116.
 Statistische Uebersicht des Oesterreich. Kaiserstaats.
 Wien 1809. *Gallia* ad 32,000 □, 35,000,000 Incol.
 ex quibus 1064 ad 1 □ — *Hispania* 25,147 □
 10,409,000 Incol. ad □ 413 — *Nova Hispania*
 118,478 □, 5,807,100 Incol. proin ad u-
 num milliare quadratum 49 referantur.

Berolinensibus paginis ex Confinio Saxonix de 4 h. m. hæc nunciantur: „Verum est: Dresdæ machinas bellicas ad mœnia delata, extra pomœria valla & munimenta erecta, Collectiones artium, & thesaurarium ad arcem Königstein devedum, atque in Confiniariis urbibus Bohemiam versus Regias in Casas pecunias hebdomadatim deferendas præceptum esse; videtur nihilominus in Casu etiam inevitabilis belli, id immediate adversus nos neququam directum esse. Austriaci ad Egram concentrari dicuntur. arx vero Egra non in Saxonico limite, verum versus Byruthinum sita est; ante etiam 8 dies Austriaci binis nostrum levioris armaturæ Equitibus, qui ad eos transfugerant, retentis equos cum ephippiis, reliquoque adparatu ad vicinam Confinariam Præfecturam remisere, quæ profecto agendi ratio tempore hostilium cogitationum, & immediate ante eruptionem belli locum habere non solet; quid ex Lipsiensibus Pascalibus nundinis fiet? si Austriacæ generosæ phalanges irruptionem susceperint, quod si prorsus haberi non possent & celebrari, quot fortunis laberentur? anxietas ex eo promanans ob quam pacem tantopere anhelamus, facit, ut & speremus eam, quippe: quod optamus, & libenter speramus.